In Nomine Domini, Amen:

# LVCVBRATIONES STAGIRITICÆ,

*SEV*

# CONCLVSIONES EX VNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELICA.

*Præsidente* M. PAVLO IOANNE WOIEWODZKI, *Phil: Doct: Collegâ Maiore, Regio & Cursûs Vladislauiano-Philosophici*

*PROFESSORE,*

Ad Ecclesiam S. ANNÆ, Canonico.

*A*

STEPHANO BARWINKIEVVICZ, A. A. L. L. & Philosophiæ

*BACCALAVREO,*

*Ad disputandum, in Alma Vniuersitate Cracouiensi,*

*PVBLICE*

PROPOSITÆ.

*Anno Dñi, M. DC. LXXXI.* *Kalend. Februarij.*

CRACOVIÆ,

Ex Officina SCHEDELIANA S. R. M. Typograph.

# ÆTERNÆ MENTI,

*AB ÆTERNO OMNIA PENETRANTI,*

# INCREATÆ SAPIENTIÆ,

# DEO VNI, ET TRINO,

*ANTE CVIVS IMMENSAM MAIESTATEM,*

*Omnis Sapientia Creata, est mera ignorantia, & nihil.*
*Ex Peripateo triplicem Victimam.*

# LVCI INACCESSIBILI,

*VMBRAS STAGIRITICAS.*

**ARCANO SS. TRIADOS IMPERSCRVTABILI,**
Triplicia Arcana Philosophica scrutanda.

# ALTÆ PROFVNDITATI,

*Humillimum vectigal Aristotelicum.*

**MYSTERIO INTELLECTV DIFFICILI,**
**EFFATV INEXPLICABILI,**
Scientiæ Rationalis Sphinges.

*FECVNDITATI SINE CORRVPTIONE,*
*PLVRALITATI SINE DIVISIONE,*
*VNITATI SINE SOLITVDINE,*

*Quæ ratione naturali transuadari nequit.*

Scientiæ Naturalis Obiectum, corruptionis radicem, diuisionem & distinctionem inuoluens.

*MYSTERIO INTER CHRISTIANÆ RELIGIONIS*
*ARCANA ABDITISSIMO,*
*Abdita Metaphysica.*

*Umbratilis & contremiscens offert creatura.*

M. P. I. W. I. A.

CON.

In Nomine Domini, Amen.

# CONCLVSIONES
## EX SCIENTIA RATIONALI.

### I.

LOgica est facultas verum vel falsum considerans, & diuisionem sui, in duos Habitus realiter inter se distinctos, in Docentem nimirum & Vtentem, admittens: habetq; pro Obiecto Adæquato modum sciendi, vt sic: qui cum sit directiuus operationum intellectus, habet exinde rationem Obiecti Formalis. Rationalis tamen scientia non priuatur insigni scientiæ purè Spuculatiuæ titulo, quamuis insuper orbetur absoluta & simplici necessitate ad comparandam aliarum scientiarum præstantiam.

### II.

DAtur Ens rationis ab intellectu Diuino vel humano conceptibile, suum esse actuale à ratione tantùm accipiens, in qua solùm habet esse obiectiuè; Denominationibus tamen extrinsecis, Negationibus & Priuationibus rationem sui minimè tribuens.

### III.

IMperium Philosophiæ non indiuisum est, cum in suis penetralibus foueat, non modo Distinctionem vt sic: quæ est carentia identitatis inter Entia, negationem sui inuicem habentia; sed etiam Distinctionem realem, quæ versatur inter duo extrema realia: & Distinctonem Rationis, tam Ratiocinantis quàm Ratiocinatæ: tum Distinctionem ex natura rei formalem, quæ est diuersitas inter plures eiusdem rei formalitates, in eadem entitate reali radicatas, & identificatas sibi realiter, cum susceptione Prædicatorum contrariorũ, ante opus intellect⁹: atq; hanc Distinctionem formalem, rectè quisque Philosophus ad Distinctionem virtualem reducere potest: nisi quæstionem de nomine velit euitare.

### IV.

VNiuersale in essendo, quod est Ens vnum aptum inesse multis, habet suam à parre rei existentiam independenter ab omni operatione intellectus, non tamen independenter à singularibus extra quæ nullibi subsistit. Ast vniuersale in prædicando, ad hoc vt detur à parte rei, beneficium requirit à nostro intellectu faciente comparationem simplicem, ad eius constitutionem.

### V.

COncreta tam substantialia quàm accidentalia, possunt de alijs concretis toties prædicari, prædicatione formali, quoties abstractum vnius concreti est superius, respectu alterius concreti, de quo prædicatur,

dicatur, vel est formâ illius. Abstracta verò nequeunt prædicari de ijs, à quibus abstrahunt hoc est de suis concretis, nec è contra de suis abstractis concreta, idque prædicatione formali: neque abstractum concreti superioris, potest prædicari de abstracto concreti inferioris, tam formaliter, quàm identicè: idem proinde iudicium esto de secundis intentionibus.

VI.

REcta profectò & adæquata diuisio est vniuersalis, tam Metaphysici quàm Logici in quinq; prædicabilia, Genus nimirũ, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. Vnde arcendi sunt meritò à Peripateo Authores illi, qui plura, vel pauciora designant prædicabilia. Atq; hæc diuisio vniuersalis vt sic, in sua inferiora, est diuisio Generis in suas Species.

VII.

CVm Genus definiatur esse id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid incompletè; tunc non definitur per se natura communis, neq; genereitas, seu prædicabilitas in abstracto, sed genereitas seu intentio secunda in concreto, connotans naturam communẽ de pluribus speciebus prædicabilem; vt autem saluetur ratio generis, non requiruntur ad id plures species actu existentes: quamuis posibiles omnino ei sint necessariæ, de quibus prædicatur vt totum potentiale.

VIII.

TRibuenda est bonitas illi definitioni, quæ exprimit naturam Speciei prædicabilis, dicendo esse id, quod prædicatur de pluribus numero differentibus in quid completè; non tamen concedendum, vt quâ talis exigat subijcibilitatem, vel per modum proprietatis, vel per modum prædicati essentialis. Ast illud admittendum saltem probabiliter, quòd omnes species diuersæ, sint inæqualis perfectionis.

IX.

INdiuiduum Metaphysicum, seu primò intentionaliter sumptum, benè describitur, quod ex se non potest inexistere pluribus, in quibus numerari atque diuidi posit, & quorum quodlibet sit ipsum. Vnde ab omnibus indiuiduis, non potest abstrahi aliqua ratio communis quæ sit singularis & prædicabilis, de omnibus singularibus realiter spectatis. Nec vitiosa censenda illa definitio Indiuidui Logici, seu secundò intentionaliter considerati, per quam dicitur esse illud, quod de vno solo prædicari potest.

X.

SI quis autem de principio Indiuiduationis inquirat, illud nec quantitatem, vel aliud accidens: nec collectionem accidentium: nec existentiam: nec materiam absolutè sumptam: aut signatam quantitatẽ: nec formam substantialem, aut formam & materiam simul esse sciat; sed singularitatem, seu hæcceitatem, ad quam sequitur negatio communica-

municabilitatis: imò nouerit etiam nulla accidentia indiuiduari à suis subiectis.

## XI.

DEfinitio differentiæ secundò intentionaliter sumptæ, per quàm dicitur esse illud, quod de pluribus differentibus specie in quale quid prædicari potest, censenda est bona. Diuisio autem illius vt sic consideratæ, in Communem, Propriam, & Proprijssimam, pro adæquata, & pro diuisione analogi in sua analogata acceptanda. Cuius ratio in esse tertij prædicabilis constituitur, per ordinem ad inferiora speciei.

## XII.

PRoprium quarto modo sumptum adeo efficax est, vt illud solum constituat quartum prædicabile: definiturq; primòintentionaliter, esse id, quod accidit soli alicui speciei, & omni ac semper. Secundò-intentionaliter sic: est illud, quod prædicari potest de pluribus in quale accidentale conuertibiliter necessariò. Constituitur autem in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora speciei illius, à qua immediatè emanat: estq; adeò suo coniunctum subiecto; vt nec de potentia absoluta, pòssit ab eo diuelli & ad permanentiam mutuam conseruari.

## XIII.

ACcidenti tam primò quàm secundò intentionaliter sumpto, bene congruit descriptio illa, quâ dicitur; Accidens esse id, quod potest abesse & adesse præter subiecti corruptionem. In esse verò quinti Prædicabilis, non constituitur per ordinem ad sua inferiora, sed per ordinem ad illa subiecta, de quibus contingenter prædicatur.

## XIV.

INter decem Prædicamenta Entis finiti vt sic, Substantia ex eo Principatum tenere debet, quòd sit Ens reale completum, per se existens. Vnde ratio formalis constitutiua eiusdem, est perseitas, quæ gloriatur se esse quid positiuum, ad quod sequitur ineptitudo ad inhærendum. Illud verò minimè sibi attribuere potest, quòd diuisio eius in primam & secundam sit vera, & propria.

## XV

ACcidens Prædicamentale rectam, sortitur definitionem, quâ dicitur esse Ens aptum natum inhærere subiecto. De cuius essentia proscribitur inhærentia aptitudinalis, cum ad summum solùm sit proprietas eius. Hoc accidens adeò Cælitùs fortunatum est, vt idem numero, posſit de potentia absoluta poni simul in diuersis subiectis.

## XVI.

QVantitas rationem formalem sui constituens in extensione partium, ad quam sequitur aptitudo & exigentia connaturalis, expellendi se inuicem, & alias res ab eodem loco: quæ aptitudo communiter impenetrabi-

netrabilitas naturalis dicitur: distinguitur realiter à substantia, habetq; trinam speciem veram, nimirum Lineam, Superficiem & Corpus. Hac tamen præstantior, quia perfectior est Qualitas, in quatuor species vniuersales à Philosopho diuisa, ad quas omnes aliæ reducibiles sunt.

## XVII.

NObilior Peripateticorũ cætus, dari à parte rei suadet Relationes reales independenter ab omni operatione intellectûs: quæ sunt formæ quædam accidentales, à fundamento distinctæ, & ad sui constitutionẽ realem, exigentes quatuor conditiones, nimirum subiectum reale, rationem fundandi realem, terminum realem existentemq; realiter, atq; distinctionem realem fundamenti & termini: quæq; his conditionibus ditatæ ad multiplicationem terminorum, qui possunt esse sine se inuicem, multiplicantur, terminanturq; ad absolutum, adeò insignem exercendo munificentiam, vt vna fundet aliam. Iam verò sex vltima prædicamenta sunt relationes, non intrinsecꝰ vt Prædicamentales, verùm extrinsecus aduenientes.

## XVIII.

PRopositio quæ modò est vera, eadem potest esse falsa, in hoc ipso instanti, in quo est vera: vnde veritas & falsitas sunt accidentalia, non essentialia Propositioni, aut Proprietates illius. Ex Propositionibus contradictorijs de futuro contingenti, vna est determinatè vera, & altera determinatè falsa. Intellectus noster necessitatur ad assensum Conclusionis, necessitate tam specificationis quàm exercitij, admisso, quòd assensum præbuerit Propositionibus præmissis, & quòd iudicauerit eas esse bene dispositas, in modo & figura.

## XIX.

DEmonstratio vt sic adæquatè diuiditur, in Demonstrationem propter Quid, & in Demonstrationem Quia. Atq; vtraq; harum generat scientiam, cuius actus, & opinionis, naturaliter non possunt esse simul in eodem intellectu, de eodem subiecto: bene tamen id fieri potest, de potentia absoluta.

CON-

# CONCLVSIONES
## EX SCIENTIA NATVRALI.

### I.

PHysicæ Obiectum Adæquatum est substantia corporea completa: quod si quispiam voluerit assignare Ens mobile, vel naturale; aut substantiam mobilem, vel naturalem, is de voce quæstionem instituet. Atque prædicta substantia principia constitutiua sui habet, in facto esse duo: in fieri verò tria, è quorum Principiorum numero, materia prima, non est ita pura potentia, quin includat actum entitatiuum & actum Metaphysicum: attamen sine aliqua forma substantiali Physica, nequit existere naturaliter, quamuis possit supernaturaliter.

### II.

FOrmæ substantiales è materia educibiles, præexistunt in illa virtualiter, quarum duæ sibi non subordinatæ, nequeunt simul esse naturaliter, in eadem materia: oppositum nihilominus absoluta potentia efficere valet; imò & vnam formam, ad duplicem materiam actuandam determinare. Vnio inter materiam & formam, est respectus extrinsecùs adueniens, & non modus absolutus substantialis, aut accidentalis. Totum substantiale Physicum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.

### III.

CAusa Physica vt sic ( quæ definitur esse id, quod per se positiuè influit esse, in aliud, ex natura sua intrinseca, contingens & cum imperfectione dependens ab illo, quod sibi communicat suum esse ) adæquatè & vniuocè diuiditur, in Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem; DEVS Præpotens nequit omnino supplere causalitatem, causæ Materialis & Formalis intrinsecè, respectu totius compositi Physici.

### IV.

CVM omnis substantia producat immediatè aliam, ideo nullum accidens immediatè attingit productionem substantiæ; DEVS autem Gloriosus concurrit immediatè, cum causis secundis, ad effectus illarũ, non tamen eas præmouet per superadditam qualitatem Physicam. In causis creatis admittenda est potentia obedientialis passiua, ad quamlibet formam, non dicentem essentialem & actualem dependentiam, ad subiectũ determinatum; secus de potentia obedientiali actiua discurrendum, quæ solùm in quibusdam datur, ad quosdam effectus.

### V.

VNus idemq; effect⁹ non potest simul & semel, tam naturaliter, quàm supernaturaliter dependere, à pluribus Causis adæquatis; neq; idem potest seipsum efficienter producere, neque Causæ Efficientes possunt

sibi inuicem esse Causæ, vt vna dependeat ab altera, in genere Causæ Efficientis; Agens creatum etiam immediatè agit in distans.

## VI.

MOtus qui ab agente, mobili, & termino distinguitur realiter, suam distinctionem specificam desumit, à distinctione specifica terminorum, ad Quos & à Quibus; Datur ad substantiam, Quantitatē & Qualitatem. Motus proiectorum, prouenit à qualitate proiectis impressa, tanquam à principio Quo, & ab ipsis proiectis, tanquam à principio Quod. In vacuo deinde supernaturaliter admisso, potest dari, jsq; localis, tam à se, quàm ab alio.

## VII.

PLurium substantiarum, quæ se naturaliter ab eodem loco expellunt, vnus idemq; locus simul & semel, per absolutam potentiam, potest esse capax: pariter idem corpus potest esse simul in pluribus locis, tam circumscriptiuè quàm definitiuè; fieri tamen non potest naturaliter, vt aliqua forma absoluta sit in replicato corpore in vno loco, quæ non sit in eodem, in quocunq; alio loco. Ast formæ repugnantes sibi, ab eodem corpore, in eodem loco, remouendæ sunt.

## VIII.

INfinitum Syncategorematicum in magnitudine, in intensione & in numero, non repugnat naturaliter à parte rei, esto Categorematicum non nisi Diuinâ virtute possit dari. Creatura tamen infinitæ perfectionis, vt existere in rerum natura, ita admitti in Peripateum, nullatenus potest ac debet.

## IX.

PLures partes in continuo existere actu, quæ ante omnem designationem, per quodcunq; extrinsecum factam, distinguuntur realiter, vt indubitatum apud Philosophum est, ita certum debet esse, apud eius Discipulos, illud non componi ex puris & solis indiuisibilibus, quamuis hæc in illo positiuè & actu reperiantur.

## X.

DVratio quæ adæquatè diuiditur in æternitatem, æuum & tempus: secundum id, quod positiuum & reale dicit à parte rei, est existentia rei durantis, non tamen dicit actualem existentiam rei ad tempus, neque rationem mensuræ; aut respectum formalem permanentiæ.

## XI.

MVndum non fuisse productum ab æterno, verùm in tempore, tenendum est omnino, nihilominus negandum non est, potuisse eum produci ab æterno, quoad res permanentes: qui etiam in tempore nequit naturaliter perire, tam quoad Cælestia, quàm quoad sublunaria corpora, adeoq; durabit in æternum: neç tamen is, vel ideo floridus videri debet immemoribus Cœlestium, quòd affirmetur creatus esse, à Deo Benedicto, tempore Verno.

XII.

## XII.

CÆlum etsi non sit vnum ex Elementis, neq; compositum ex ijsdem, non tamen censendum est corpus simplex, cùm ad sui constitutionem admittat materiam, quæ eandem rationem sortitur cum materia sublunarium; est tamen incorruptibile connaturaliter, solidum & inanimatum, decem Orbes & vndecimum quadratum Empyreum habens, Stellas verò planè innumerabiles, concurrentes ad complexionem humanam. Orbes Cælestes non mouentur à seipsis: nec agunt per motum tanquam per virtutem actiuam, in hæc inferiora, inter quæ si numeratur intellectus noster & voluntas, tunc in illum, & in hanc non influunt directè; vnde Astrologi nullo modo possunt, successus futuros contingentes, & casus fortuitos, aut actiones ex voluntate humana pendentes prænoscere, atq; prædicere.

## XIII.

MEteororum causa materialis proxima, est vapor & exhalatio: causa verò efficiens, est Sol & alia astra calida & calefactiua: inter quæ prodigiales & ominosi Cometæ numerantur, interitum vel mutationem Regnis, periculum, vel obitum Regibus & Principibus, famem & pestilentiam populo, prænuntiantes, non fallaci obseruatione.

## XIV.

GEneratio substantialis, quæ est mutatio alicuius, ad formam substantialem, cum qua facit vnum per se corpus substantiale: pro subiecto in ratione mutationis habet materiam, vel aliud compar: in ratione verò productionis ipsum generantem: Ast pro termino à Quo, habet priuationem & formam præcedentem destructam. Deinde pro termino ad Quem, habet totum compositum includens singularitatem. Insuper pro termino Quo, Formam compositi.

## XV.

INtensio qualitatis, non fit per additionem nouæ entitatis, destructâ priori entitate qualitatis: nec per minorem admixtionem contrarij: nec per communicationem existentiæ perfectioris, destructâ imperfectiori existentiâ: nec per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto: nec per additionem noui modi, qui præbeat formæ maiorem explicationem in subiecto, tollendo confusionem & potentialitatem eius, reducendoq; illam, ad maiorem vnitatem: nec insuper per communicationem maioris actualitatis: sed fit per additionem gradûs ad gradum.

## XVI.

GRauiter errant ij, qui tres animas distinctas, in homine constituunt, cùm vna rationalis sufficiat, illaq; sola indiuisibilis; & indistincta realiter ab intellectu & voluntate; quod similiter tenendum de quauis alia

anima, quam ſuæ potentiæ concomitantur, non includentes aliquid corporis. Atq; hæ potentiæ non ſolent eſſentialem & intrinſecam ſpecificationem ſuam deſumere, ab actibus, neq; actus ab obiectis, niſi tanquam ab extrinſeco, & à poſteriori.

## XVII.

OBiectum Adæquatum intellectûs humani, benè aſsignatur, eſſe Ens communiſsimè ſumptum, ſub ratione Entis: nec minùs rectè dicitur Intellectum Agentem & Poſsibilem, formaliter tantùm ex natura rei, & non realiter inter ſe diſtingui. Quanquam, recta & illa doctrina eſt, quæ pro Obiecto Adæquato voluntatis perfectioris, quàm intellectus, ponit Ens in ſua latitudine: iam verò pro Obiecto volitionis bonum quâ bonum, & pro obiecto nolitionis malum quâ malum.

## XVIII.

OMnes ij quicunq; ſunt recti ſensûs, affirmant dari Senſum Communem internum cognoſcitiuum, à quinq; ſenſibus externis diſtinctum: necnon appetitum ſenſitiuum tam in hominibus, quàm in cæteris animantibus, cuius appetitûs partes ſunt duæ, vna concupiſcibilis, altera iraſcibilis.

## XIX.

DAntur Species ſenſibiles, tam in ſenſibus internis, quàm externis: quæ Species ſenſibiles, non ſunt corpuſcula, vel ſubſtantiæ, ſed qualitates, de prima, vel tertia ſpecie, alterius omnino rationis ab obiectis. Species non eſt ſimilitudo obiectiua; & medium Quod, reſpectu obiecti: nec eſt ſimilitudo formalis obiecti, in hoc nimirum ſenſu; quaſi eadem entitas obiecti ſit, ſub modo eſſendi, non naturali, ſed repræſentatiuo: prout nihilominus differt à medio cognoſcendi Quod, & eſt medium cognoſcendi Quo, poteſt dici ſimilitudo formalis obiecti: ſi verò conſideretur per reſpectum & comparationem ad actum cognitionis, non eſt niſi virtualis ſimilitudo obiecti.

CoN-

# CONCLVSIONES
## EX SCIENTIA TRANSNATVRALI.

### I.

Metaphysica transgrediens scientiam naturalem, & determinans sibi, pro Obiecto Adæquato Ens reale vt sic, est scientia perfectissima Speculatiua, versaturq; circa omnia entia, secundùm omnia prædicata generica, & specifica, quatenus ratione naturali, sunt cognoscibilia, nec includunt materiam primam, nec dicunt per se ordinem ad illam.

### II.

ENs vt sic habet vnum conceptum formalem, & obiectiuum, qui est distinctus ex natura rei formaliter, & præcisus à gradibus inferioribus: atq; sic est vniuocum, ad Deum & Creaturas, substantiam & accidens, vniuocatione imperfectâ, seu analogâ vniuocâ: non tamen rectè affirmari potest, quòd detur conceptus vniuocus, Entis vt sic, ad Ens Reale & ad Ens Rationis.

### III.

VTraq; Schola, tam Angelici, quàm Subtilis Doctoris, sapientissimè diuidit Ens; *Primò* in Ens reale, & Ens rationis. *Secundò* in Ens finitum, & Infinitum. *Tertiò* in Ens dependens, & Independens. *Quartò* in necessarium, & contingens. *Quintò* in simplex, & compositum. *Sextò* in Ens in actu, & Potentiâ. *Septimò* in Ens per se, & Ens per accidens. *Octauo* in absolutum, & respectiuum. *Nonò* in substantiam, & accidens. addit Subtilis Schola, Ens quantum, & non quantum.

### IV.

VNitas, Veritas, & Bonitas, sunt Passiones, seu Attributa Entis vt sic, nec ab ipso distinguuntur realiter, sed ex natura rei formaliter. Vnitas à qua per se primò formaliter habet Ens, esse Vnum, est formalitas positiua: at Veritas transcendentaliter sumpta, est eius intelligibilitas. Bonitas verò prout est adæquata Passio Entis vt sic, optimè explicatur per conuenientiã ad appetitum, non quidem realem & prædicamentalem, sed aptitudinalẽ seu transcendentalem: id est per ipsam rei appetibilitatem.

### V.

ESsentia & Existentia non distinguuntur realiter, distinctione propriè dictâ, sed solùm ex natura rei formaliter. Atq; Essentia cuiusuis rei,

dicitur ratio per ſe primò conueniens rei, intrinſecè ipſam conſtituens, & à qua omnes eius proprietates emanant. Exiſtentia verò dicitur id, ratione cuius formaliter conſtituitur res, extra ſuas cauſas, & extra nihil.

## VI.

SVbſiſtentia in creatis, nihil addit poſitiuum, ſed duplicem negationem, actualis nimirum & aptitudinalis communicationis alteri, vt Quod, & vt Quo. Et ſanè definita in hunc modum ſubſiſtentia, non ſolùm toti compoſito Phyſico, ſed etiam partibus integralibus homogeneis conuenit, quæ ab inuicem ſeparatæ, ſunt Entia completa & per ſe. Aſt de partibus Eſſentialibus Phyſicis, & partibus hæterogeneis, ſecus eſt ſtatuendum.

## VII.

CReaturæ quemadmodum nullũ eſſe ſimpliciter, & abſolutè habüerunt ab æterno: ita nec vllum eſſe diminutum medium, inter Ens Reale, & Ens Rationis, niſi ipſum eſſe cognitum, in omniſcia mente Dei Præpotentis Maximi; Cui ab omnibus creaturis, laus perennis eſto, atque veneratio indeficiens, totam per æternitatem.

*Permiſſu Magnifici Domini*

# RECTORIS.



*Alma Parens, eccur Sacrâ Cruce, Sceptra prehendis?*
*Namq; Deo, Sanctos dant mea Sceptra Viros.*

IOANNES ÆGYDIVS ZAHERLA,
Stud: Grammat.